

(7)

Gerhardi, Primarii sane Theologi vestigia, ut multis in aliis hujus Disputat. locis, ita & hic prementes, cum eo τὸ ἐπίχειν pro præsentī eligamus, & nostram mentem B. Chrysostomi verbis hom. 1. de incompreh. Dei Natura declaremus, dicendo: *DEum esse ubique, totumque esse in quavis parte orbis terrarum novi, sed quemadmodum sit, nescio.* Nec tamen interea diffitemur, efficaces Scr. S. expressiones & phrasēs, quas ad describendum superiorem præsentiae gradum adhibet, plura videri exigere, quam quæ negativam Quæst. sententiam propugnantes, illæsis hypothefibus suis, admittere queant. In hoc de præsentī acquiescimus, & convertimur potius ad *operationem peculiarem, & efficacem*, quam hoc ἐπιλεύσται ex omnium consensu infert, ut quoque ex supra allegatis constat. Illa hic non tantum rara, & paucis communis; sed prorsus singularis est: quæ à condito orbe nulli hominum evenit, & à piis veteribus ad tres actus refertur. teste B. Gerharo in LL. L. IV. §. 107. & B. Dorschæo nostro in Pentadecade Disp. de Myster. Incarnat. p. m. 199. (quibus accuratissimis Theologis multa Disp. nostram debere lubentes grata mente profitemur) *Horum autem actuum primus est, miraculosa fœcundatio, veteribus dicta ἀμυστος ἐνέργεια. Qua Spir. S. B. Virginem obumbrans, infinita potestate sua effecit, ut semen vivum & efficax ad H. Christi N. formationem in ea existeret, & ipsa ita præter naturæ ordinem sine virili semine fœtum concipiendi facultatem haberet.* Alter actus (uti iidem DD. loquuntur) non tempore à primo divisus, sed naturæ ordine distinctus, est θαυμασίος ἀγιασμός, seu singularis illa sanctificatio, qua à Spir. S. id, quod ex B. Maria Virgine concipiebatur, & unde H. N. Christi formanda erat, ab omni Originalis peccati labe purificatum, mundatum, extersum, atque expurgatum fuit; adeoque quoad sanctitatem omnimodæ integritati & puritati restitutum. Et hic est verus χωρισμὸς ἀπὸ τῶν ἀμαρτολῶν Hebr. VII, 26 in quo explicando altera Disp. nostræ pars occupabitur. Tertius denique ἀρρητός ἕνωσις in ipso actu unionis, H. N. cum λόγῳ in unam personam, se exerit. Nam licet unionis terminus sola ad S. S. Trinitatis persona sit; δημοκρατικῶς tamen & efficienter unio toti S. S. Trinitati, & singulatim quoque Spir. S. adscribitur. Omnes hi tres actus pulcherri-

me